

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

In fine capituli præcedentis ostendit quanto studio studiosus sapientiæ sectetur sapientiam, ut illi appropinquet; nunc vicissim ostendit quanta benevolentia eidem sapientia occurrat, quantaque dona et gratias ei conferat. In d. vers. 7, declarat sapientiam fugere stultos, superbos, dolosos et mendaces; ambire vero sensatos, humiles, sinceros et veraces. Denique, vers. 11, docet sapientiam et Deum non esse auctorem peccati, utpote quod execratur, sed cuique dedisse liberum arbitrium, ut eligat bonum vel malum, vitam vel mortem. Igitur hic insignis est descriptio liberi arbitrii, in cuius potestate est eligere sapientiam vel stultitiam, id est, virtutem vel peccatum.

1. Qui timet Deum, faciet bona: et qui continens est justitiæ, apprehendet illam, 2. et obviabit illi quasi mater honorificata, et quasi mulier a virginitate suscipiet illum. 3. Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum: et firmabitur in illo, et non flectetur; 4. et continebit illum, et non confundetur: et exaltabit illum apud proximos suos, 5. et in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, et adimplebit illum spiritu sapientiæ et intellectus, et stola gloriæ vestiet illum. 6. Jucunditatem et exultationem thesaurizabit super illum, et nomine æterno hæreditabit illum. 7. Homines stulti non apprehendent illam, et homines sensati obviabunt illi, homines stulti non videbunt eam: longe enim abest a superbia et dolo. 8. Viri mendaces non erunt illius memores: et viri veraces inveniuntur in illa, et successum habebunt usque ad inspectionem Dei. 9. Non est speciosa laus in ore peccatoris: 10. quoniam a Deo profecta est sapientia. Sapientiæ enim Dei stabit laus, et in ore fideli abundabit, et dominator dabit eam illi. 11. Non dixeris: Per Deum abest; quæ enim odit ne feceris. 12. Non dicas: Ille me implanavit; non enim necessarii sunt ei homines impii. 13. Omne execrumentum erroris odit Dominus, et non erit amabile timentibus eum. 14. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. 15. Adjecit mandata et præcepta sua: 16. si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. 17. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. 18. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi; 19. quoniam multa sapientia Dei, et fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. 20. Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis. 21. Nemini mandavit impie agere, et nemini dedit spatium peccandi: 22. non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et inutilium.

## PRIMA PARS CAPITIS.

1. QUI TIMET DEUM, FACIET BONA, — jam dicta cap. præcedenti, vers. 11, 17, 21, 23 et sequent., scilicet opera beneficentiæ, justitiæ, vestigationis sapientiæ; sed maxime dicta vers. 22, ubi Complutenses legunt, *veratus qui in sapientia meditatur bona, et in intellectu suo disseret sancta*. Eo enim alludit: hæc enim sunt bona quæ faciet is qui timet Deum, q. d. Timens Deum quælibet

opera bona et sancta faciet, ut his placeat Deo, ejusque gratiam demereatur; nimirum, meditabitur justitiam, cogitabit circumspectionem Dei, respiciet per fenestras sapientiæ, figet palum in pariete domus sapientiæ, etc. Quocirca pro bona, Græca habent *ἀγαθὰ* (Noster legit ἀγαθὰ), ipsa, scilicet quæ jam dixi. Est enim hic versus quasi anacophaeosis et summaria repeditio totius cap.

præcedent. Unde aliqui Latini legunt *faciet illud*, scilicet jam dictum.

ET QUI CONTINENS (id est, compos) EST JUSTITIÆ, APPREHENDET ILLAM, — scilicet sapientiam, de qua toto cap. præcedenti fuit sermo. Ostendit quæ sint vestigia, per quæ vestigandam dixit sapientiam, docetque ea esse timorem Dei et opera justitiæ; ideoque timentes Deum, et operantes justitiam, apprehendere sapientiam cum omnibus ejus donis jam dictis, scilicet, ut per eam protecti, securi vivant vitam quietam, hilarem, sanctam, et bonis omnibus abundantem. Græca habent, *qui timet Dominum, faciet illa; et qui compos est scientiæ legis* (non speculativæ, sed practicæ, puta justitiæ, ut vertit Noster, *comprehendet eam*; Tigurina, *qui Dominum reveretur, faciet hæc; et cognitionem legis adeptus, hæc apprehendet*; Syrus, *qui timet Deum, faciet ita; et qui docet legem, ambulabit in ea*. Pro continens Græce est *ἐπιμαρτυρία*, id est *compos*, sive qui tenet justitiam. In uno vetusto codice est, *ὁ εὐλαβῶς γινώσκων νόμους ἐπιμαρτυρεῖ ἀδικίαν*, id est, *qui acceperit cognitionem legis, inveniet eam*, scilicet sapientiam. Sensus est, q. d. Qui timet Deum, ejusque legem adimplet (quod est, facere justitiam, sive jus et justum a lege præscriptum), hic apprehendet sapientiam. Non enim sola speculatione et cognitione, sed praxi et operatione legis cognitæ, acquiritur sapientia hæc vera et practica. Repetit et inculcat id quod dixit cap. 1, 33: «Concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit eam tibi.» Siracidi succinit Ananias in *Pirke Avoth*, id est in *Sententiis Patrum*, cap. III: «Omnis homo, inquit, qui plus habet operum quam sapientiæ, ejus sapientia permanet; qui autem e contrario plus habet sapientiæ quam operum, ejus sapientia diuturna et stabilis esse nequit.» Ibidem R. Eleazar: «Qui, inquit, sapientia plus quam bonis operibus abundat, cui similis est? Utique arbori multis frondibus luxurianti, paucis autem radicibus in terra fixæ. Adest ventus, repentino impetu illa concutitur, ac tandem funditus evertitur, sicut ait Jeremias, cap. XVII, 6: Erit quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum; sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis. Qui autem operibus bonis supra sapientiam affluit, cui similis est? utique arbori paucis quidem onustæ ramis, sed multas ad terram radices mittenti. Nam, etsi vis magna ventorum eam succusserit, nullatenus loco movebitur, juxta illud *Jerem.* ibidem: Erit tanquam lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas; et non timebit, cum venerit æstus, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.»

Porro, quo magis crescimus in justitia, eo magis apprehendimus sapientiam, magisque bonorum ejus participes efficimur. Ergo apprehendet significat actum non solum inchoatum, sed et crescentem ac perfectum: quanto enim quis

magis timet et reveretur Deum, eique per bona justitiæ opera placere satagit, tanto magis apprehendit sapientiam, fitque sapientior. Quod cuique summe conandum est, ut Christum duem suum sequatur, de quo scribit S. Lucas cap. II, 52: «Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia, apud Deum et homines.» Ita Rabanus: «Quarto, ait, quis sollicitior est in custodia mandatorum Dei, et studiosior in justa conversatione, tanto largius gaudet in sapientiæ perceptione.» Horum omnium causa est timor Dei: «Qui enim, ait Noster Alvarez tract. *De Timore*, in timore Domini fuerit radicatus, is ab ipso timore sollicitabitur, ne otiosus et deses maneat, sed jugiter in sanctas actiones incumbat. Qui autem per exercitationem bonorum operum, justitiam ac virtutem apprehenderit, is sapientiam quoque, et Dei sapientiam notitiam apprehendet. Quare timor ad omnia bona, quæ ad actionem et contemplationem pertinent, suam dominationem extendit.» Unde S. Bernardus, serm. *De Donis Spiritus Sancti*, cap. 1, qui habetur pag. 101: «Prima, inquit, gratia est timor Domini. Qui hanc habet gratiam, omnem odit iniquitatem, juxta illud Psalmistæ: Iniquitatem odio habui, et abominatus sum; et alio loco: Omnem viam iniquitatis odio habui. Scriptum namque est: Timor Domini odit malum. Et item: Time Deum, et recede a malo. Et de Job dicitur: Vir timens Deum, et recedens a malo. Sine hac gratia, prima gratiarum, quæ totius religionis exordium est, nullum bonum pullulare vel manare potest. Sicut enim securitas vel desidia causa est et mater omnium delictorum, sic timor Domini radix est et custos omnium bonorum.» Et S. Ephrem *De Timore Dei*, tom. I: «Qui timorem, inquit, Dei obtinet, huc illucque non evagatur animo, sed Dominum suum exspectat, ne forte repente veniat, ipsumque negligentia torpentem et imparatum offendat, separetque. Qui Deum timet, non est expers curæ ac sollicitudinis; semper enim vigil est ac sobrius. Qui timet Dominum, immodico non est deditus somno; vigilat enim et adventum Domini sui exspectat. Cui timor Dei est, in nullo se negligentem præbet, ne Dominum suum offendat. In quo timor Dei est, inertia atque desidia non se tradit; semper enim sua diligenter curat, ne condemnetur a Domino. In quo est timor Dei, semper quæ Domino suo placent, probat, eaque amplectitur et perficit; ut, cum Dominus ejus venerit, in multis ab eo laudetur: plurimorum enim bonorum causa est timor Dei possidentibus illum.»

2. ET OBLIABIT ILLI QUASI MATER HONORIFICATA, ET QUASI MULIER A VIRGINITATE SUSCIPIET ILLUM, — quæ scilicet non a viduitate, sed a virginitate, id est virgo, ducta est, factaque mulier, id est uxor. Unde Græce est, *ὡς γυνὴ παρθένας*, id est, *tanquam uxor virginitatis*, quæ scilicet in virginitate, id est virgo, ei desponsata est, factaque conjux; ideoque mariti moribus obsequitur, seseque facit

conformat, et ideo tenere diligitur. Græca non habent *honorificata*; sed hæc tantum, *tanquam mater obviabit ei, et quasi uxor virginitatis excipiet eam*; Tigurina, *et eum tanquam uxor virgo ducta excipiet, q. d.* Quanto honore, amore, suavitate et gaudio virgo sponsa excipit suum sponsum, cui recens desponsata est, tanto pariter sapientia excipiet sui studiosum, qui ejus amplexus et concubium ambit. Syrus, *sicut mulier adolescentiæ, quæ ducitur in adolescentia, appropinquabit illi.* Significat occursum sapientiæ, scilicet, sapientiam se querentibus occurrere mira promptitudine et benevolentia, per duas similitudines, matris scilicet honorabilis, et uxoris virginis; idque,

*Primo*, quia nulli sunt tam intensi amores in mundo quam matris erga filium, et virginis sponsæ erga sponsum. Hosce, imo multo majores, sapientia divina suo hospiti demonstrabit: majores, inquam, tanto, quanto major est spiritus quam caro, Deus quam homo, cælum quam terra. Hos amores sentiebat ille qui dixit: « Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum, » *Psal. LXXXIII, vers. 7*; et: « Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, » *Psal. XLI, vers. 3*.

*Secundo*, quia in utroque honor miscetur amor, ita ut nec amor minuat reverentiam, nec reverentia amorem. Mater enim honorata, v. g. regina, filiis suis occurrens, eos amanter amplectitur ut mater, honorifice ut regina. Similiter virgo sponsa occurrit sponso casto amore, ut sponsa, sed et reverenter ac pudibunda quasi virgo. Itidem facit sapientia suis discipulis.

*Tertio*, quia uterque amor continet amoris delicias, quæ mentem consolatione adimplent, et voluptate quasi exsaturant: mater enim materno amore filiis quasi visceribus suis occurrens omnem suum affectum, ac seipsam quasi totam in eos effundit: itidem facit virgo sponsa erga sponsum. Idem facit Deus, Deique sapientia et gratia, juxta illud (quo alludit hic Siracides) *Isaiæ LXVI, vers. 13*: « Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos; videbitis, et gaudebit cor vestrum; » et vers. 11: « Ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus; ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus, etc.; ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. » Porro tantus est amor Dei ejusque sapientiæ et gratiæ erga homines, ut non solum se querentibus occurrat, sed et non querentes, imo fugientes et aversantes, insequatur, eosque ad se alliciat et invitet, imo cogat. Quam ergo ingrati, inhumani, stolidi et barbari sunt, qui Deum adeo sui amantem negligunt, imo contemnunt et spernunt, adeoque contra eum pugnant!

*Quarto*, Rabanus: « Merito, ait, sapientia mater nuncupatur propter gratiæ nutrimenti, et virgo propter speciem pulchritudinis, et sanctitatem castitatis, quoniam nihil est in ea immundum, neque coinquinatum. Ipsa est enim candor lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis,

et imago bonitatis illius; et per ipsam sanati sunt quicumque Deo placuerunt a principio. » Hoc est quod ait Sapiens, cap. vi, vers. 13: « Clara est ea quæ nunquam marcescit sapientia; et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilerit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet. »

Ratio est, quia sapientia Dei est ejus bonitas; bonitatis autem est se ultro communicare: bonum enim est sui diffusivum; bonitas autem infinita infinite desiderat se communicare et diffundere. Talis est bonitas Dei et sapientiæ increatæ. Sapientiam quasi matrem sequantur ejus filii, puta sapientes et doctores, ut, scilicet, facile suam sapientiam, dona et gratias aliis communicent: ad hoc enim ea a Deo acceperunt, et per hoc magis ea augebunt, tum quia qui docet alios, docet seipsum; tum quia quo quis alacrius et diligentius docet alios, eo magis docetur a Deo; tum quia Deus liberalitate se vincit non patitur, sed liberali liberalius erogat, ut liberalior in alios esse pergat.

*Quinto*, eadem hic accipi potest mater et mulier virginitatis. Alludit enim ad occursum sponsi et sponsæ: mater ergo honorificata est sponsa præcipua, quæ erat mater familias, ideoque in summo honore habebatur a tota familia. Non enim vulgus sapientia, quasi ancilla et concubina, obviare quasi sponsa illi, qui aliam illi anteponit. Ubi nota olim licitam fuisse polygamiam, ita ut vir liceret ducere plures uxores; sed una de his erat primaria, quæ proinde familiam regebat, et vocabatur materfamilias, quam proinde maritus manu apprehendens, sibi certa verborum forma despondebat, tuncque dicebatur illa in mariti manum venire, vel convenire, hoc est, cooperari in matremfamilias; cæteræ vero simpliciter dicebantur et vocabantur concubinae, vel secundariæ uxores. Ita Cicero in *Topicis*: « Si Fabia, inquit, pecunia legata est a viro, si ea uxor materfamilias esset, si ea in manu viri non convenerat, nihil debetur: genus enim est uxor; ejus duæ formæ, una matrumfamilias, hæ sunt quæ in manu convenerunt; altera earum, quæ uxores tantum habentur. » In quem locum scribens Severinus Boetius, lib. II, cum tribus modis uxorem duci dixisset, usu, farre, coemptione, explicatis primis duobus: « Coemptio, inquit, certis solemnitatibus peragebatur, et sese coemendo invicem interrogabant; vir ita: An sibi mulier materfamilias esse vellet? illa respondebat, velle. Mulier, an sibi paterfamilias esse vellet? ille velle respondebat. Itaque mulier viri conveniebat in manum, et vocabantur hæ nuptiæ per coemptionem. » Unde noster Pineda in cap. XXI *Job*, vers. 15, num. 9, sic explicat: « Qui continens est justitiæ, apprehendet illam, et obviabit illi quasi mater honorificata, et quasi mulier a

virginitate suscipiet illum. Id est, qui justitiam, qui sanctitatem, qui Deum quærit, non oportebit universum viæ laborem et lassitudinem suscipere, ut illam consequi possit. Nam sicut inter sponsos constitutum erat, ut venienti sponso occurreret sponsa, quæ etiam erat et dicebatur materfamilias (non enim hic de matre agitur respectu filii, sed respectu patrisfamilias): ita Deo occurrimus venienti et quærenti eos qui se inquirunt. Sic occurrit miseris Deus, *Jerem. xv, 11*: Si non occurri tibi in tempore afflictionis. Sic occurrit laboranti, præmium largiturus, *Isaiæ LXIV, vers. 5*: Occurristi lætanti et facienti justitiam: in viis tuis (q. d. in ipso medio itinere) recordabuntur (cum te præsentem viderint, tua præsentia et occursum recreati) tui. Sed ita tamen occurrit Deus, ut non solum partiri videatur nobiscum viam, et itineris molestiam; sed fere totum quod itineris et laboris est, conficiat ipse, ac se nobis vix ex nostris finibus egressis obviam præbet, ut expressum videas *Math. xv*, in muliere illa Chanaanæ: nam vix a finibus Tyri et Sidonis egressa, Christum Jesum obviam habuit, qui primum ex Judææ finibus egressus secesserat in partes Tyri et Sidonis. Ergo divina sapientia præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. » Hæc Pineda, cui favet et Salazar, quem mox citabo.

Tropologice, sicut Deus Deique sapientia totum suum amorem in nos effundit, quasi mater in filios, et quasi virgo in sponsum: ita vicissim nos omnem affectum ei uni dedere, imo reddere par est, ut eum solum amemus, et nil nisi propter ipsum. Hæc est enim puritas amoris; cui depurando indies magis magisque studere nos oportet, ut spoliantes nos omni amore rerum creaturarum, eum totum conferamus in Deum, ut Deum in omnibus creaturis amemus, et omnes creaturas in Deo; ac mente abstrahamus ab amore nostro omne bonum creaturæ, ut in solo creatore defigatur et conquiescat, v. g., dum videmus quid pulchrum, audimus quid harmonicum, sapimus quid deliciosum, in omnibus mente et amore transeamus et feramur in auctorem horum omnium, puta in Deum, qui est fons immensus pulchritudinis, harmoniæ et deliciarum: in eo ergo quasi oceano nos totos per amorem immergamus et natemus, sicut pisces natant in aqua, et sicut aves volant in aere. Eum toto mentis sinu et affectu recipiamus, sicut aer recipit radios solis, sicut speculum recipit speciem regis, ut in anima nostra quasi in speculo, non nisi divinæ virtutis et amoris imago resplendeat. Sensim vero adeo depuratur hic amor, ut viri eximie spirituales et sancti, ne gratiam quidem et gloriam ament in se, sed in iis solum ament Deum, uti faciunt Beati in cælo. Quare æqualiter Deum amant in quibuslibet creaturis, ac tam in adversis quam in prosperis, quia in utrisque æque Deum quem solum amant, reperiunt: nimirum

Christum dilectum suum tam inveniunt in monte Calvariæ quam in Thabor; sicut ergo in monte Calvariæ non amant crucem, sed Christum crucifixum: sic et in Thabor non amant gloriam, sed Christum transfiguratum et gloriosum: perinde ac eundem venerantur in imagine tam lutea vel ænea, quam aurea, quia non æs vel aurum, sed imaginem, imo Christum in imagine venerantur. Et sicut Mathematicus triangulum considerat in se, abstrahendo ab eo quod sit ligneus vel lapideus: ita Sanctus Deum considerat et amat in creaturis tam vilibus quam pretiosis, abstrahendo ab eis, et pure contemplando et amando suum triangulum, puta SS. Trinitatem, cui dicit cum sponsa in *Cantico* toto corde: « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclineatur umbra. » Et cum Paulo: « Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrificiam. » Et: « Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. » Et cum Psalte: « Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum? »

Allegorice B. Virgo, æternæ Sapientiæ, puta Christi Domini, genitrix, justis eam invocantibus occurrit quasi mater honorificata, ut eam appellat S. Ildelfonsus, serm. 1 *De Assumpt.*, ac S. Bonaventura in *Psalterio Virginis*. Et recte: nam *primo*, ipsa est mater Dei, sive Deipara, qui post Deum summus est honoris titulus; *secundo*, quia eam honoravit Filius Deus, cum in terra se illi quasi matri subjecit: rursum in cælo honoravit eam, collocando a dextris suis. Cujus typus fuit in Salomone, qui simili modo honoravit Bethsabee matrem suam, III *Regum*, cap. II, vers. 19: « Surrexit, inquit, rex in occursum ejus, adoravitque eam, et sedit super thronum suum: positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus. » Nam, ut ait Methodius, oratione *De Purificatione*: « Qui dixit: Honora patrem et matrem, ut decretum a Deo promulgatum observaret, omnem gratiam matri et honorem impendit; » *tertio*, quia ipsa est mater omnium fidelium et Sanctorum. Unde a Patribus vocatur, « mater viventium, » sicut Eva vocatur « mater morientium; » quia, ut ait S. Epiphanius, *hæresi 78*, « a Maria hæc vita mundo genita est, ut viventem gigneret, et fieret Maria mater viventium. » Et infra: « Eva mortis causa facta est hominibus, per ipsam enim mors ingressa est in mundum; Maria vero causa vitæ, per quam genita est nobis vita, et per hanc Filius Dei advenit in mundum. » Rursum Christus moriens, nos omnes, id est, fratres suos, matri suæ commendavit et resignavit, dicens S. Joanni: « Ecce mater tua; » S. Joannes enim omnes nos representabat. Unde Origenes *Præfatione in S. Joannem*: « Christus, inquit, dicens: Mulier, ecce filius tuus, perinde est ac si dixisset: Ecce hic est Je-

B. Virgo nobis est mater honorificata.

Primo.

Secundo.

sus quem genuisti. Nam quisquis perfectus est, amplius non vivit ipse, sed in ipso vivit Christus; cumque in eo vivat Christus, dicitur de eo Mariæ: Ecce filius tuus Christus. » Quocirca Albertus Magnus sermone super *Missus est*, asserit B. Virginem « curam, gerere maternam omnium, cui propositione sua aptari possit illud quod de Sapientia dicitur: Ipsi cura est de omnibus. » S. Augustinus, lib. *De Virginitate*, cap. vi: « Hæc, inquit, mater, spiritu est membrorum Salvatoris, cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur. » S. Anselmus, lib. *De Excellent. Virginitatis*, cap. xi: Beata Dei genitrix, ait, suis meritis cuncta reparando, mater est, et domina rerum. » S. Bernardinus, tom. III, serm. 6, art. 2, cap. ii: « Virgo, ait, per consensum in incarnationem, omnium electorum salutem viscerosissime expetiit et procuravit, et ex tunc in suis visceribus omnes bajulavit, tanquam verissima mater filios suos. » Unde ipsa B. Virgo S. Brigittæ, lib. IV *Revelat.* cap. cxxxviii, revelavit se non tantum justorum, sed etiam peccatorum qui ad bonam frugem recipere se volunt, matrem esse, eisque opem ferre. Clamemus ergo cum tota Ecclesia: « Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe. » Et in Litanis: « Mater divini gratiæ, ora pro nobis. » Denique ipsa est mater fidei, spei et charitatis, juxta illud cap. xxiv, 24: « Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. » De quo plura ibidem.

Nota: τὸ *obviat* optime convenit B. Virgini, quia ipsa innumeris velut alis misericordiæ circumdata, illico advolat, ut miseris opituletur. Unde S. Anselmus, lib. *De Excellent. Virginitatis*, cap. vi: « Velocior, inquit, est nonnunquam salus, memorato nomine ejus (id est Mariæ, quam invocato nomine Domini Jesu. » Et rationem reddit: quia ad Christum tanquam ad judicem pertinet etiam punire, ad Virginem tanquam ad patronam, non nisi misereri. Porro B. Virgo proprie quasi mater occurrit B. Joanni, utpote ei a Christo in cruce data in matrem. Quocirca Ecclesia in festo S. Joannis, hæc legit loco Epistolæ. Et Albinus Flaecus, qui jussu Caroli Magni Imperatoris homilias Patrum collegit, hæc adaptat S. Joanni, ejusque festo.

Jam reliqua quæ subnectit Siracides: « Cibabit illum pane vitæ et intellectus, » etc., facile est B. Virgini adaptare, ac præsertim illud: « Mulier a virginitate; » ipsa enim in virginitate et ob virginitatem facta est mulier et mater Dei, ut sibi sit virgo, Deo mater. Unde noster Salazar in *Prov.* cap. viii, vers. 18, num. 157, putat hic non duas, sed unam dari similitudinem: « Eadem enim, ait, est mater honorificata, quæ mulier a virginitate, græce *virginitatis*, id est virgo, q. d. Sapientia occurrit filio tanquam mater honorificata, id est, tanquam mater a virginitate sua, id est, tanquam mater simul et virgo. Id vero addit, ut

significaret sapientiæ (de qua ibidem loquitur ad litteram) totius corruptelæ expertem sinceritatem, quæ quamvis mater appelletur, nihilominus virgo est. Neque lædit sententiam hæc interpretatio, sed potius illam exacuit. Sensus enim sic conformandus est: Occurrit illi sic, mater honorificata et virgo, id est, tanquam mater quæ filiam peperit virginitate incolumi, atque adeo sine dolore et pressura, q. d. Sic exceptit illum veluti si foret mater aliqua, cui filius, quem virgo, atque adeo incorrupta, et sine doloribus peperit, honoris multum et obsequii deferret: hunc enim eo libentius amaret, quia voluptatem plurimam, nullum vero dolorem ipsi attulerat. Hæc vero ad B. Virginem accommodate transferuntur, quæ vere parvulos illi honorem deferentes, tanquam virgo mater exceptit; a quibus cum voluptatem experta sit, dolorem hactenus nullum exceptit. Majores enim natu quotquot ad ipsam accedunt, fere plurima jam admiserant peccata, quibus tantæ matri cruciatum et dolorem attulerunt; atque adeo tunc cum illos Deo parit, cum doloribus quodammodo enititur. Parvuli vero et insontes ad Mariam accedentes, atque illam honorantes, nullum dolorem vel cruciatum, sed voluptatem plurimam illi apportant. Ideo illos virgo parere jucundius et gratius illos excipere dicitur, quia istos Deo pariendo (liceat si dicere) partum Christi imitatur, quem virginitate incolumi sine dolore et cruciatu, edidit mundo. » Idem ibidem numer. 451, explicans illud eodem pertinentis: « Hauriet salutem a Domino, » notat τὸ *potabit* significare, B. Virginem gratiam et honestatem non modo edendam præbere, in quo difficultatis aliquid est, sed etiam bibendam propinare, uti fecit suis dilectis, S. Bernardo, S. Anselmo, S. Damasceno, S. Bonaventuræ et aliis, qui ita ad omnem honestatem et virtutem fuere prompti et proclives, ut eam non tam comedisse quam bibisse videantur.

Exemplum illustre et rarum est in Vita B. Hermani Josephi Ordinis Præmonstratensis. Hic enim a puero B. Virgini apprime devotus, eam per omnem vitam expertus est matrem honorificatam; quæ proinde assidue ei pecunias ad victum et vestitum procurabat, morbos sanabat, tentationes fugabat, ac in omnibus aderat, et de cunctis rebus ad salutem opportunis velut pia et liberalis mater providebat: quin et eum in sponsum accepit, nomenque sponsi sui, scilicet Joseph, ei indidit. Lege Vitam ejus, et miraberis tantam tantæ matris in suos clientes dignationem et pietatem. Exstat Vita ejus apud Surium ad diem septimum aprilis, in ultima (quæ valde adaucta est a Mosandro) editione Coloniensi.

3. CIBABIT ILLUM PANE VITÆ ET INTELLECTUS, ET VITÆ AQUA SAPIENTIÆ SALUTARIS POTABIT ILLUM. — τὸ *vitæ* et *salutaris* desunt in Græco; sic enim habet, *cibabit illum pane sapientis* (id est *intelligentiæ*), et *aqua sapientiæ potabit eum*; Syrus τὸ *intelligentiæ*

et *sapientiæ* trajicit et commutat; sic enim habet, *cibabit illum pane sapientiæ, et aquis intelligentiæ potabit illum*. Dixit vers. præced. sapientiam sui studiosis occurrere amicissime, quasi matrem et quasi sponsam; nunc hujus occursus effectus fructusque significat: primus est, quod eum cibabit et potabit sic, mater cibabit filios, præsertim infantes et parvulos, et sicut sponsa prandium mensamque instruit sponso. Pro *cibabit* enim Græce est *φωμίζω*, id est, in frustra concido et seco, pascio conciso cibo et particulatim in os indito, quod *turandam in os indere*, dixit Cato de avibus. Sicut ergo matres et nutrices *μοσσιματα*, id est, omnia minima mansa infantibus et pueris in os inserunt: sic et sapientia sua dogmata particulatim divisa auribus et mentibus suorum instillat, iisque quasi suos infantes adescat. Nam uti vinum in vas amplum per utrem exiguum sensim infunditur et instillatur, ne si per angustum foramen amphora tota infundatur, angustiae foraminis tantam copiam respuant, vinumque effundatur et pereat: sic et pueris qui angustam habent mentem, sensim instillanda est doctrina et sapientia, uti docet Quintilianus.

Porro *intellectus*, sive intelligentia, et *sapientia* idem sunt, licet etymo et connotato differant, uti dixi in *Proemio*. In rebus enim spiritualibus, uti in mente, idem est cibus et potus; sicut idem est auditus, visus et gustus. Una enim eademque mens, sive intellectus, omnes sensus eminenter in se continet, omniumque vices et actus obit. Sensus ergo est, q. d. Sapientia mentes suorum cibabit et potat, id est, pascit pane et potu spirituali, puta intelligentia et sapientia, hoc est, seipsa suisque dogmatibus, institutis et præceptis, quæ salutem et vitam gratiæ et gloriæ ei conferunt.

Noster addit τὸ *vitæ*, quia alludit ad lignum sive arborem vitæ, quæ erat typus et symbolum sapientiæ in paradiso, *Genes.* cap. ii, vers. 9. Sicut enim illa, ejusque esus prorogasset homini vitam ad plurimos annos, donec Deus eum transtulisset in cælum, itaque eum fecisset immortalem: sic et sapientia cibabit suos sua gratia et gloria, quæ vitam spiritualem, salutarem, beatam et æternam homini conferunt. Unde eam vocat *lignum vitæ* Salomon *Prov.* iii, vers. 18: « Lignum vitæ, ait, est his qui apprehenderint eam; et qui tenuerint eam, beatus. » Et cap. xi, vers. 30: « Fructus justis lignum vitæ. » Quare τὸ *vitæ* et *salutaris* opponunt et præponunt hunc sapientiæ cibum non tantum pani materiali, qui inanimitis et insensibilis est, nec mortem arcet, sed prorogat; verum etiam doctrinæ Philosophorum, quæ nec veram, nec vitalem, nec salutarem sapientiam afferebat; unde vitam et salutem æternam conferre non poterat. Item doctrinæ hæreticorum; hæc enim est panis mendacii, ait Rabanus, et comestoribus suis mortem infert perpetuam. Talis est et doctrina, puta dictamen et suggestio, concupiscentiæ, quæ errorem et mortem gustanti

conciat. Sapientiæ enim practicæ opponitur concupiscentia. Rursum τὸ *cibabit* significat sapientiam ita pascere mentem, ut non tantum omnem ejus famem et sitim satiet, sed et simul eam sensu rerum divinarum mire oblectet, in virtutibus crescere faciat, iisque illam impinguet, et fecundam honorum operum efficiat. Hæc enim omnia cibus corporeus corporaliter præstat corpori. Denique hoc cibo satiati Sancti corporalem cibum fastidierunt, ut Moses, Elias, Antonius, Hilarion, Pachomius, Franciscus, etc. Cibum enim deliciosissimus et potus, imo nectar, animæ sunt studia virtutum, quæ et eam recreant, et in vita spiritali promovent; ac præsertim talis est oratio, et contemplatio Dei et rerum cœlestium. Huc facit gnome prisce Rabini in *Pirke Avoth*, id est, in *Capitulis Patrum*: « Dicebat R. Meir: Omnis homo, qui diligenter ac studiose versatur circa legem intentione recta, is profecto magni meriti est, nec tantum hoc, sed et de universo orbe bene meretur, dignusque invenitur, qui amicus et familiaris Dei et nuncupetur et sit. Amat Deum et etiam homines; gaudio Deum afficit ac homines quoque. Humilitatis eum atque timoris spiritu lex induit: illa, scilicet, quam tantopere colit, quam tanto studio observat; præparat eum ac disponit ad omne virtutum genus, justitiam scilicet et pietatem, atque ut rectus sit et fidelis; avertit eum ab omni peccato, et ex adverso proximum Deo facit. Unde fit, ut homines ad ejusmodi virum tanquam ad orauleum confugiant, ejus usuri consilio, scientia atque prudentia, juxta illud *Proverb. viii*: Meum est consilium ac imperium; ei ergo dominium dat in alios, sua insuper ei secreta revelans. Unde fit quasi fons inficiens, aut quasi fluvius jugiter fluens. Inde et bene compositus evadit et prudens, et ad irascendum tardissimus. Magnificat porro eum illa, extollitque virtutem ejus super omnes res creatas. »

Allegorice Christus, qui est Patris nostraque sapientia, seipso quasi pane divino nos realiter pascit in Eucharistia, itaque nos vivificat, et faciet resurgere ad vitam immortalem, juxta illud *Joan. vi*, vers. 33: « Panis Dei est, qui de cælo descendit, et dat vitam mundo. » Et vers. 35: « Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriat: et qui credit in me, non sitiet unquam. » Et vers. 51: « Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et parisi, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. » Rursum aqua sapientiæ salutaris est Spiritus Sanctus, ejusque dona et gratiæ, de quo Christus *Joan. iv*, vers. 13: « Qui hiberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » Audi Palacium: « Ad verbum, ait, Dei Patris refertur panis, nec enim in solo pane vivit homo, sed et i verbo; ad Spiritum Sanctum aqua, teste Joanne

Eucharistia est panis vitæ.

qui verbum Christi de aqua saliente in vitam æternam, ait intelligendum de Spiritu. Cum igitur potentia primæ in anima rationali sint intellectus et voluntas, si intellectui sapientia dat cognitionem divinam, dicitur eum cibare pane vitæ. At cum voluntas liquatur in divina dulcedine, aqua sapientiæ potatur, non liquore alchymico, quem cœlestem aquam, vel quintam essentiam nominant: sed liquore divino ignito animam liquante, transformante et quid non efficiente? Hinc panem maxime petimus, dum quotidie oramus: «Panem nostrum quotidianum (vel, ut S. Matthæus habet cap. vi, 11, *ἐπιούσιον*, quod Vulgatus Interpretes vertit *supersubstantialem*) da nobis hodie.» Unde Tertullianus eum explicans lib. *De Oratone*: «Spiritualiter, inquit, potius intelligamus; Christus enim panis noster est, quia vita Christus, et vita panis.» Et paulo post: «Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, et individualitatem in corpore ejus.» S. Cyprianus quoque in *Expositione orationis Domini*: «Panis, inquit, vitæ, Christus est; et panis hic omnium non est, sed noster est; et quomodo dicimus, Pater noster, quia intelligentium et credentium pater est: sic et panem nostrum vocamus, quia Christus noster, qui corpus ejus contingimus, panis est.»

3 et 4. ET FIRMABITUR IN ILLO, ET NON FLECTETUR: ET CONTINEBIT ILLUM, ET NON CONFUNDETUR. — Secundus est hic effectus et fructus sapientiæ suo discipulo occurrentis, scilicet, quod pascat illum non per modum transeuntis, sed in eo se firmet et maneat; ipsumque confirmet in vero et bono, nec ad falsum et malum eum inflecti sinat: quare in virtute continet illum, ne cadat in vitium, itaque confundatur et pudefiat. Græca pro illo et illum, scilicet studiosum sapientiæ, legunt feminine, illa et illam, scilicet sapientiam; sic enim habent, *firmabitur super eam, et non inclinabitur; et super eam innitetur, et non confundetur*; Tigurina, *firmatus hac, statu moveri non poterit; qui fuerit innixus huic, non afficietur ignominia*; Syrus, *innitetur super eam, et non cadet; et in ea confidet, et non confundetur*. Sed eodem redit sensus. Per hoc enim quod sapientia sedem suam firmet in anima justi, eundem firmat, ut ipse sapientiæ innixus in eadem firmus consistat, nec ad stulta pravaque deflectat; sed contra omnia mundi tentamenta immotus consistens, dicat: «Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.» Sapientia ergo mentem fulcit et firmat, sicut thesauriaca fulcit corpus, ut a peste grassante infici lædique nequeat. Et sicut balsamum corpora mortua corroborat, ut ea corrumpi et tabescere non sinat, quia sua vi et vigore permeat per omnes eorum venas, partes et meatus, itaque ea sibi similia et incorrupta efficit: simili modo sapientia, sua vi penetrans omnes animæ sinus, eos in bono integros et incorruptos conservat.

Ratio a priori est: *Prima*, quod sapientia menti

et per mentem voluntati, sapientes suggerat rationes et motiva ad constantiam et fortitudinem: ut, quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quod nobile sit pati pro virtute et pro Deo, quod Deus patientes pro se corroboret, præmiet et coronet. *Secunda*, quod sapientia sit ipsa prudentia et virtus; virtus autem a viro dicitur quasi virilitas, ait Cicero II *Tusculan.*, et proprie fortitudinem significat, quod viro propria sit fortitudo. Unde Virgilius, lib. V *Aeneid.*:

Tum pudor incendit vires, et conscia virtus.

Hinc nonnulli ex Cicerone virtutem sic definiunt: «Virtus est perferendorum malorum fortis atque invicta patientia.» *Tertia*, quod sapientia suggerat modum adipiscendi gratiam, quæ mentem corroboret per Sacramenta, præsertim panis Eucharistici, uti jam dixi. De hoc enim scriptum est: «Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo,» *Psalm. LXXVII, 25*. Et: «Panis cor hominis confirmet,» *Psalm. CIII, vers. 15*. Et: «Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?» *Zachar. IX, vers. ult.*, ubi multa hac de re dixi. Sane S. Catharina Senensis ex sacra Synaxi tantum robor mentis et corporis hausit, ut nulla re mundi turbaretur aut moveretur, imo ut sine cibo corporali viveret fortis et vegeta. Rursum Martyres invictum in quibuslibet tormentis robor adepti sunt ex S. Eucharistia, quam proinde domum deferebant, et in periculo persecutionis sumebant, ut liquet ex Tertulliano, S. Cypriano et aliis. Hujus rei figura fuit manna, quod aluit et corroboravit Hebræos ad omnes itineris et bellorum labores per 40 annos in deserto. Et panis subeinericius ab angelo datus Eliæ, cujus virtute Elias ambulavit per 40 dies et noctes usque ad montem Dei Horeb, ac animose opposuit se impietati Jezabelis et Achab, quos antea timidus fugiebat, III *Reg. XIX, vers. 8 et seq.*

Moraliter, ait Palacius, «adverte hic primo, et piium hominem non flecti, non esse ascribendum ei, sed sapientiæ, quæ se in illo firmat. Nec enim quia nos in illa firmamur, perstamus recti; sed quia se in nobis illa firmat. *Secundo*, adverte, omnia temporalia flectere nos deorsum, ut flexa erat illa femina, quæ jam ab annis decem et octo cœlum recta intueri nequibat, *Lucæ, cap. XIII*. At sapientia reddit hominem rectum, ut ille olim creatus erat; et licet omnia temporalia contendat flectere quem sapientia erigit, non poterunt: nulla enim creatura valet separare nos a charitate Dei. *Tertio*, nota, hominem ex se continuo defluere et labi; sumus enim (ut illa dixit) aqua quæ dilabitur super terram, II *Regum, cap. XIV, 14*: ac ideo Paulus rogat ne perefluamus. Fluentem igitur animam sapientia confinet, ne perefluat et confundatur. O miseriam! anima per fenestras sensuum elabitur in mundi castra, nisi a sapien-

tia contineatur. *Quarto*, nota, in tempore mortis, ut impius coram Deo, angelis et daemonibus ignominia verecunda afficietur: ita pius ab ea verecundia (quæ incredibile malum erit) liberabitur.»

EXALTABIT ILLUM APUD PROXIMOS SUOS. — Græce, *παρὰ τοὺς πλησίον αὐτοῦ*, quod alii vertunt, *supra proximos suos*; unde Tigurina, *hæc supra socios suos extollit illum*; et Syrus, *exaltabit illum supra omnes proximos suos*. Sapientia enim facit ut sapiens inter indoctos et insipientes emineat, velut sol inter planetas, qui ab illo lucem participant, velut oculus inter membra quæ illuminat, velut rex in populo, velut doctor inter discipulos. Ita sapientia exaltavit S. Petrum, ut a fidelibus cole-retur quasi Dei interpretis; et S. Paulum, ut a Lycaoniis adoraretur ut Deus, et vocaretur Mercurius, *Act. XIV, 11*, ac cæteros Apostolos virosque Apostolicos; adeo ut reges et principes eos quasi homines cœlestes venerarentur, juxta illud: «Erun't reges nutriti tui, et reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent,» *Isaiæ XLIX, vers. 23*. Unde hoc explicans, modumque exaltationis assignans, subdit:

5. ET IN MEDIO ECCLESIE APERIET OS EJUS. — Tigurina, *et in media concione os ejus aperiet*. Verum id obscurius et arctius dicitur, esto latinus; clarius enim et amplius cœtum fidelium significat Ecclesia, quam concio. Hæc est tertia dos et fructus sapientiæ, scilicet, quod sui studiosos non tantum sapientes, sed et aliorum doctores constituat. Audi Rabanum: «Eleganter, inquit, expressit formam Apostolorum et prædicatorum sancti Evangelii, quos divina Sapientia, Christus fidelicet, qui est Dei virtus et sapientia, universæ præposuit Ecclesiæ, et præ cæteris fidelium tur-bis in arce dignitatis collocavit. Hunc ergo cœtum eximium Doctorum divina potentia intus spiritus sui gratia illuminavit, et foris copiam elocutionis administravit, ut bonum quod ipsi intelligebant mente, aliis faciendo exponerent sermone.» Quocirca hæc Siracidis verba legit Ecclesia in officio divino S. Joannis Apostoli, et in Introitu Missæ Doctorum. S. Joannes enim recumbens in pectore Christi, inde hausit eximiam sapientiam, qua non tantum cæteros fideles, sed et Apostolos superavit; unde omnes Asiæ Ecclesias, quasi sol illuminavit, præsertim dum illud ter sacrum Divinitatis et Trinitatis arcanum initio Evangelii intonuit: «In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.» Hinc et Apocalypsim conscripsit, «quæ tot habet sacramenta quot verba,» ait S. Hieronymus. Quamobrem merito ipse unus præ aliis meruit cognomen Theologi.

Tropologicæ, diseat hic fidelis doctor et prædicator, se non aperire os, sed illud sibi a sapientia, hoc est, a Deo et Christo, aperiri, ut loquatur ea quæ sunt salutis. Igitur ex se agnoscat suam

infantiam, scilicet, se ex se esse elinguem et mutum, petatque sibi suggeri a Deo quæ auditoribus salutifera futura sunt. Hoc agnovere primi hujus Academiae doctores, puta Christus, qui ait: «Doctrina mea non est mea, sed» Patris, *Joan. VI, 16*. «Dominus, ait, dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo,» *Isaiæ I, vers. 4*. Et Spiritus Sanctus, de quo ait Christus: «Non enim loquetur a semetipso: sed quæcumque audiet loquetur,» *Joan. XVI, vers. 13*. Inter mortales clare hoc agnovit Moses, qui deprecans missionem ad Pharaonem: «Obsecro, Domine, inquit, non sum eloquens;» ideoque ab eo meruit audire: «Perge, et ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris,» *Exodi IV, vers. 10 et 12*. Et Jeremias cap. I, vers. 6: «A, a, a, inquit, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum;» ideoque audivit: «Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas,» etc. Et S. Paulus: «Orantes pro me, ut detur mihi sermo in aperitione oris mei,» *Ephes. VI, vers. 19*. Idem ergo nos humiliter agnoscere et confiteri oportet.

Nota: Sapientia est quasi sponsa et uxor sapientis, sed prorsus alia ratione quam sit uxor domestica. Nam primo, hæc uxor regitur, maritus regit: at sapientia regit, sapiens regitur ab ea; secundo, uxor pascitur et vestitur a marito: at sapientia pascit et vestit sapientem; tertio, maritus docet uxorem, ejusque os aperit: at sapientia docet sapientem, ejusque os pandit; quarto, uxor custoditur et protegatur a marito: at sapientia custodit et protegatur sapientem; quinto, uxor nomen et honorem sortitur a marito: at sapientia utrumque confert sapienti; sexto, uxor fulcitur et exaltatur a marito: at sapientia firmat et exaltat sapientem.

ET ADIMPLEBIT ILLUM SPIRITU SAPIENTIE ET INTELLECTUS, ET STOLA GLORIE VESTIET (ita Romana; alii legunt *induet*) ILLUM. — Hic versus jam deest in Græco et Syro. Explicat quomodo sapientia sui discipuli aperiat os in Ecclesia, nimirum infundendo ei plenitudinem sapientiæ in corde, quam ore eructet. Sophistæ enim jactantes sapientiam, eam ore ostentant, quam in corde non habent: at sapientes plus sapientiæ habent in corde, quam ore expriment. Sophistæ ergo sunt similes canalibus, qui nihil aquæ retinent, sed totam quam receperunt, effundunt: sapientes vero similes sunt conchis quæ prius sese implent, deinde quod reliquum est aquæ, alio emittunt. Audi S. Bernardum serm. 18 *in Cant.*: «Si sapis, inquit, concham te exhibebis, et non canalem. Sic siquidem pene simul et recipit, et refundit: illa vero donec impleatur, exspectat, et sic quod superabundat, sine suo damno communicat, sciens maledictum qui partem suam facit deteriorem, etc. Verum canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas vero perpaucas. Tantæ charitatis sunt per quos nobis fluentia cœlestia emanant, ut ante effunder